9

NOVAE EPISTOLAE OBSCURORUM VIRORUM

EX FRANCOFURTO MOENANO

AD

D. ARNOLDUM RUGIUM
PHILOSOPHUM RUBRUM NEC NON
ABSTRACTISSIMUM DATAE.

EDITIO ALTERA

IN COMMODUM CLASSIS TEUTONICAE EXSTRUENDAE

FRANCOFURTI AD MOENUM.

TYPIS EXCUSUM BROENNERI

A. MDCCCXLIX.



WAR THE TENER

Hoys,

raffication and uncrease sum. Com Archivela exchange

Carolus Jocosus professor in naturalibus Arnoldo Rugio philosopho S. P.

Summus Aristoteles dixit: "de singulis dubitare non inutile est," mihi contra utile videtur atque necessarium dubitare de omnibus. Certo enim, vir spectatissime, res nostrae a tempore, quo concilium nationale reliquisti, tam infeliciter sese figuraverunt, ut vix sciam, quo me vertam phrasibus meis et amicis nostris. Cogitatibi, quomodo mihi nunc diffidatur. Nuperrime enim dicenti mihi: "Anima mea quassata est" obriserunt multi auditores in concilio nostro dubitantes, num ego haberem animam.

Attamen habeo animam puram et pro salute populi ardentem, animam horrendis Ministrorum conatibus adversantem, animam tecum in odio contra omne consistens fideliter coniunctam. Quod ante plures menses magno cum applausu dixi, habere me nullum standipunctum, id hoc tempore repetere possum acrius et verius.

Videtur mihi nempe, quod adversarii nostri plane me perspectaverint; nil iuvat vox tremulans, oculus rotans, brachium porrectum, iocus mollis et saevus. In "Oceanum" doloris et in "Mare mediterraneum" desperationis submersus sum. Cum Archimede exclamarem: Da, ubi sto! et totam Germaniam ex radicibus tollerem; sed heu istud concilium miserabile nihil dat amicis populi, qui bene meriti sunt de propaganda dominatione democratiae.

Et ipsi illi multi, qui in concione praedicta a partibus nostris democraticis stare volunt, non fortiter et consequenter viam democraticam carpunt, nam pedissequi sunt democratismi, quem vulgarem nuncupaverim ad modum rationalismi vulgaris. Qua de causa ego cum pluribus amicis mihi proposui, fundare theoriam et societatem politicam, novam et inauditam, quam appellare volumus Λουμπαζιοκρατίαν. Spero fore ut amici mei eligant me praesidentem huius nobilis societatis, quae radicitus extinguet omnes monocratias, aristocratias, democratias et ochlocratias. Scribe mihi mox quid cogites de proposito nostro. Libenter accipiemus intuitionem tuam et consilium de hac re. Vale ac fave. Dab. Francofurti M. Novembr. A. MDCCCXLVIII.

Street Bornet a street book to an and any on Market printer and

and when have to the bound in the statut

Junaman mis Stuttgrand.

stree querelec. Adversaril. II se's ascerent megod, equit

Guilelmus Lignifaber cognominatus "Amor et deliciae generis humani" Arnoldo Rugio suo S. D.

Magnus me dolor oppressit, amice carissime, quum audivi operationes democraticas sociorum Berolinensium auspiciis tuis neque feliciter, neque fauste, neque fortunate vertisse. Philosophia tua, si quid sapio, non apta est ad capessendos animos hominum aliquid possidentium, sicuti terminologia tua non est intelligibilis pro viro communi. Fac te meliorem in his rebus ambabus. Sic nullam habeo dubitationem, causam nostram tandem esse triumphaturam. Quod ceterum attinet terminologiam ad fugandos adversarios aptissimam in ea proh dolor! hic loci inimici nostri excellunt Ministri. Si nos a democratica parte interpellavimus eos strenue et sagaciter, tunc illi idem semper respondent: "Domini amplissimi, ministerium sperat sese mox fore in situatione amoena, vobiscum communicare effectum rationum complectentissimarum, quas suscepit in hac re, quae animadversionem ministerii in alto gradu capessit." Tunc plaudunt et cachinnant omnes de dextera parte et nos cogimur

os tenere. Nuper autem, mihi crede! prae furore in braccas cacavi meas et exclamavi: O inauditam, o intolerabilem insolentiam ministerialem! Sed nil efficient nostrae querelae. Adversarii nostri exercent terrorismum horrendum et semper pro iis rebus votant, quas ad conclusum perducere volunt. Estne hic modus agendi illegitimus et sceleratus? Essetne iustum et aequum aliquando votare pro intuitione minoritatis? Me Hercle videbunt aliquando, folio vertente, isti nebulones quod fecerunt. Saluta mihi Molitorem Tiliae et Karbium venerabillimum et caeteros partis democraticae antesignanos Berolini degentes. Sitis mihi suaves!

F Lindan - Miller & grai banliner:

tankling only this more pharmana a line of a specie

Ifferfal III.

Fridericus Loeffelius vir communis Arnoldo Rugio doctori philosophiae et artium liberalium magistro S. D.

Quum mihi non ignotum sit, quam tu, vir celeberrime, libenter scias, quas res hic agamus gravioris momenti, certiorem te faciam de propositione, quam cras in concilium nostrum importare cogito. Eam insuper significabo qua propositionem summe urgentem. Haec est:

"In consideratione, quod omnes res inservire debent "ad usum et propagationem sacrosanctae democratiae,

"In consideratione, quod bonae quoque artes adhibendae sunt ad hunc finem,

"In consideratione quod inter bonas artes ars musica "efficacissima est pro genere humano,

"In consideratione quod inter varias species artis "musices musica felina multo est intelligibilissima pro "numerossissima parte generis humani,

"Porro in consideratione, quod thesaurus democrati-"cus, secundum relationem in concilio generali Beroli-"nensi communicatam pauculos tantum nummos contineat "nempe solum 4 thaleros 3 grossos et 9 penningos, "In consideratione denique quod deficiente pecu "deficit omne nia, ita ut thesaurus imperii democratico "thesauro subsidia praebere debeat,

"concilium nationale sciscit, jubet et statuit: "Nomine et sumptibus imperii exponitur praemium M "florenorum pro optima compositione magnae musicae "felinae.

"Compositiones mittendae sunt ad commissionem "specialem a concilio eligendam usque ad XX. diem "mensis Februarii anni sequentis MDCCCXLIX.

"Commissio supradicta designabit arbitros expertos.
"Sumptibus imperii arbitris his praebentur diaetae
"ternorum thalerorum, libera statio in uno famigeratorum
"hospitiorum civitatis Francofurtensis, exempli gratia in
"hospitio ad signum montis tonitru vel in aula teutonica
"et posthac, quum Gambrinus Martius in throno sese col"locaverit, libera cerevisia in domo aceti."

Intelligis, vir celeberrime, quam sollicitus sim de salute publica. Fac, scribas nonnullos articulos in ephemeridibus tuis: "Die Reform" inscriptis ad illam propositionem cummaxime commendandam. Germania iccirco tibi solvet quam maximas grates. O vir dilectissime, mea vita, mea lux, animae meae dimidium vale et salutem tuam cura diligenter. Etiam atque etiam vale.

* grew doune brog.

* " grew druthfan Gof. "

un to conformation from attract incompanion, ten Alinbund. Liber thees, hieren inter W : quid est, q

Adolphus Pratensis, publicista incomparabilis, Arnoldo suo salutem plurimam dicit.

Magnum tibi gaudium annuncio, amice cordialissime! ingens gaudium! Res nostra floret, floret casu mirifico. Audi historiam fere incredibilem.

Hesterno die hora vespertina X. pulsatur ad meam ianuam. Clamo: Intra! Ecce intrat servus elegantissimo velatus amictu afferens literas Liberi Baronis inter Liberos Barones famosissimi ad me datas. Quaeres fortasse, quid habuerit ille Croesus ad me Irum? Nempe petita me. ut citissime ad eum veniam. Agi de re summi momenti. Festino citato gradu in domum Liberi Baronis et invenio eum sedentem in sella, pallescentem et aegrotantem. Adstat vir, qui mihi qua medicus praesentatur. Liber Baro orat voce debili me interrogantem, quid sibi velit, ut in sella me collocem et meum judicium de statu finanziali Europae secum communicem, quum salus ipsius de explendo hoc desiderio dependeat. Statim incipio et facio magna verba de praecipuis foris pecuniariis Continentis et Magnae Britanniae. Quinque minutas me locuto, subito bombisat Liber Baro. Interrogo: quid est, quod

tu bombisavisti, Liber Baro? At ille respondet: Nihil est, pergas quaeso. Iterum feci magna verba et quinque minutis de novo praeteritis, alterum bombisavit Liber Baro. Rursus interrogo: quid est, quod tu bombisavisti, Liber Baro? At ille iterum respondet: Nihil est, pergas quaeso. Pergo facere magna verba et tertium praeteritis quinque minutis bombisavit Liber Baro tertium sonitu vehementissimo et alta voce clamavit: "Io triumphe, salvatus sum, ego sum tuus aeternus debitor!" et subito in stubam prope sitam abiit, excessit, evasit, erupit.

O rem, admiratione dignissimam! Obstupui steteruntque comae, vox faucibus haesit. At ille vir, qui modo medicus mihi praesentatus fuerat, ore soluto dixit: "Audi me, aenigma tibi explicabo:

"Lapsu cursuum fundorum a Mense Martio huius anni incepto intestina Liberi Baronis tam vehementer affecta sunt, ut obstructio orta sit valde cogitabilis. Frustra ordinavi omnia medicamenta digerentia omnium pharmacopoearum Europaearum et iam desperavi de auxilio, quum casus felix me hodie in parlamentum duxit. Vidi enim ibi, postquam tu cathedram ascendisti, omnes auditores citissime ex camera diffugientes, luculentissimis excultissimae diarrhoeae signis affectos. Et ipse ego mox sensi eundem effectum statimque cepi consilium meum. Declaravi nempe Libero Baroni, solum colloquium tecum habendum ei auxilium fore. Post

longam persuasionem, quum initio pertinaciter resisteret, scripsit illas literas, quas accepisti. Atque seliciter patiens meus salvatus est, salvatus per te, qui tu es potus personificatus, quem apothecarii appellant vernaculo sermone: Das Wiener Tränkehen." Hactenus medicus.

Propone tibi, Rugi carissime, vivaciter, quam immensam influentiam haec historia in rem nostram exercitura sit. Liber Baro, cui subditi sunt omnes principes totius Europæ est meus debitor et per Deos infernos iuro, pecuniam ille largietur, ut oculi ei transeant. Fac me citissime certiorem, quantum tibi pro fratribus nostris Berolinensibus opus sit. Operam dabo, ut cito solvat. Nam bis dat, qui cito dat. Raptim.

CARLEST AND THE THE PARTY OF TH

The parameter and the property of the property of the parameter of the par

tand the hand fire or and want religion of the less the

Denfantourk.

V.

Hugo Schnickschnackius ICtus Rhenanus Arnoldo Rugio S. P. D.

Cur nos reliquisti, vir optime? Cur Francofurto abiisti? De die in diem res nostræ magis claudicare et præcipites ire coeperunt, ut nunc spes ultima plane sit deleta. Quaeris, qui factum sit? Ausculta paucis.

Non diu est ex quo novus huc venit deputatus cui nomen Piepmeyerus, qui mox tam profundissima scientia politica, quam virili morum strenuitate omnibus iniecit admirationem sui. Nihil potuit nobis contingere gratius atque iucundius. Quum in votis nostris esset, ut in tuum locum alius substitueretur nostræ partis dux atque signifer, petivimus ab eo, ut ingenium suum tribueret rei nostræ. Benevole suscepit Piepmeyerus vota nostra et mox inter nos excelluit quatuor illis rebus, quæ tanquam quatuor elementa democratiæ parlamentaris spectanda sunt, nempe

- a. in Ministris audacter interpellandis,
- b. in importandis propositionibus summe urgentibus,
- c. in flagitandis votationibus nominatim ac viri-
- d. in faciendis phrasibus generalibus.

* mylestyles Gof.

Non mirabere, suavissime Rugi, quod invidia et malitia dexterae partis statim excitata est. Duo emissarii illius fractionis, magnus Boddinus et Detmoldus exiguus, deputati una cum Schroedero, penicillatore miserabillimo, tentaverunt Piepmeyerum nostrum a societate nostra abstrahere et pellicere in ipsorum partem adulationibus insolentissimis, panegyricum edentes, qui inscribitur: "Gesta et opiniones Piepmeyeri." Taceo de hoc opere, quod illum lepidis verbis et iconibus speciosis in coelum effert. Initio resistit Piepmeyerus fortiter, sed tandem est labefactus, quum secretarius quidam status subalternus ei spem fecisset, fieri posse, ut commissarius imperii crearetur. Sic res eo deducta est, ut Piepmeyerus a se impetraverit, in hospitio aristocratico, cui nomen Aula anglica, semel certo consumere unum beefsteakium. Et, quamquam nobis flebiliter petentibus promisit, velle se fortiter et constanter rem democraticam desendere. tamen mox cecidit in abyssum profundissimum. Quid enim? Debili momento subscripsit iste miserabilis propositioni Schneerianae illi famosissimae, qua tractationes concilii nostri mirum quantum abbreviantur. Schneerius ei volubili lingua persuasit. In caput Schneerii cadat istius culpa proditionis. Tali modo amisimus Piepmeyerum nostrum et statim eum tanquam mortuum spectavimus, qua ex re heri pro anima ejus exequiae solemnes a nobis celebratae sunt. Solemni pompa ambulavimus per plateas comitantibus multis Cis- et Trans-

* mylippe gof.

moenanis Iudaeis et Christianis vexilla nigra nigrasque cocardas ferentibus. In aula, quae moerentes continebat, exstructum erat coenotaphium inscriptione lugubri ornatum, verbis hisce:

FUIT ILIUM, FUIMUS TROES.

Hie optimi oratores nostrarum partium de themate modo dicto verba fecerunt modestia Loewenbergiana et elegantia Halbendorfiana et finaliter cecinimus in choro carmen funebrale, a poeta nostro celeberrimo, illo Apolline barbato factum, cuius finis sic habet:

Decessit quondam Rugius,

Nunc sequitur Piepmeyerus,

Hodie mihi, tibi cras,

O vanitatum vanitas!

Lacrymae nostrae largiter obortae sunt. Luge nobiscum, carum caput, res democratica in angustias adducta iuste dolet. Vale et nuncia, quid nunc faciendum.

* Official

Sifreflundf. VI.

Saxo Dialecticus Rugio amicissimo S.

Quum de re literaria democratica optime mereas non solum scribendo sed etiam libros impensis tuis edendo, vir spectatissime, propositionem facio, velle te per bibliopolium tuum propagare librum a me compositum, cui titulus: Gemma gemmarum democratica seu ars fiendi in XXIV horis oratoris democratici. Bene scis, esse me rhetorem expertum et dixi multifariam non sine gloria, ut etiam de me relationes stenographicae docent. Ut accuratius autem rationem indolemque operis intelligas, initium primae paragraphi tibi impertiam. Est autem hocce:

§. I. De terminis technicis democraticis.

Ante omnia opus est, ut in oratione democratica coram populo habenda termini technici ne desiderentur, nam minus sensu, quam sonitu verborum animi populi capiuntur et tenentur. Tantum autem abest, ut repetitiones fatigent coronam auditorum, ut victoriam oratoris semper faciant certissimam. Inter hos terminos efficacissimi imo necessarii sunt:

Camarilla.

Status polizicus (vernaculo sermone: Polizeistaat).

Mercenarii bestiati (v. s.: verthierte Söldlinge).
Globulis ferreis e tormentis eiectis prosternere ali-

quem (v. s.: niederkartätschen).

Cives quieti (v. s.: ruhige Bürger),

Inermes feminae et infantes (v.s.: wehrlose Frauen und Kinder).

Tormenta (v. s.: Feuerschlünde).

Regimen gladii curvi (v. s.: Säbelregiment).

Deliberare sub tutela hastarum parvarum (v. s.:
unter dem Schutze der Bajonette berathen), etc.

Omitto reliqua, hoc specimen tibi satis superque erit. Nonulli quidem Philistaci clamant, nos posse melius quiddam facere, quam dicere talia ludibria. Ego vero credo, quod hic hoc non quadrat. Nae isti scioti non persentiscunt, quanta sit excelsitudo et suavitas democratiae. Tu vero, vir magne, hoc intelligis, tu eris fidelis semper socius laborum malorumque nostrorum.

Vale et fave. To mi the les sago sings out.

Dabam Francofurti m. Decembr. a. MDCCCXLVIII.

Mini imo necesarii sunti-ila

topicator of leagurery Tanton antern wheat, at regotitiones follows, our care with the street or the action of the contemper facinat carlos human fater has toroning efficients.